

P R Æ F A T I O.

Dei introducere aliquod Numen fictitium, cuius claram ac distinctam haberent ideam, & sic, ut dicam, quod res est, fieri Athei, quam circa res quamplurimas earumque ortum suam ignoracionem confiteri.

Spinozam ejuscemodi nequitiae esse Professore publicum, plerique haud gravatim concedent; sed Cartesium, qui summa astutia suum propositum tegere allaboravit, ejusdem criminis reum esse, vel non vident, vel cernere nolunt: quamobrem, ne quorundam animos, per ejus Philosophiam ad id praeparatos, tantum invadat scelus, semina Atheismi in ejus Philosophia contineri, atque illum illa, quibus commode nefandorum errorum systema superstruxit Spinoza, jecisse fundamenta, orbi erudito ostendere in animum induxi.

Atheum voco illum, non qui, cui innata conscientia pudorque naturalis quam maxime refragantur, aperte & totidem verbis alicujus entis supremi existentiam negat; sed & eum, qui Dei veritatem in mendacium convertit & per fictitium alicujus Numinis conceptum, quem vero supponit, verum Deum e mundo eliminare satagit; quod Cartesium sua Philosophandi methodo intendisse, justa suspicandi ratio est, quam nunc breviter exponam. Phi-